



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 17. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum  
dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha. v. 17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

ô infelix mercator & animam & corpus tali mercatura mittis in gehennam!  
non vides quid agas?

**O** Domine, impertire mihi obsecro gratiam, ne unquam ita cæcus fiam, aut avarus, ut argento vel auro tuam iustitiam divendam. Firma animum meum in bono, ne vel pro millibus millenis coronatorum vel etiam pro luctando toto mundo iniquitatem operer, vel minimum peccatum velim committere, quid enim mihi proderit omnia & me ipsum una perdere!

§. 16. Et exinde quarebat opportunitatem ut eum traderet. v. 16.

Vilis profecto animus fuit ille, qui tan. vili & parvo pretio voluit vendere vitam, non simplicis cuiusdam hominis, aut alieni, sed Prophætæ, Dei & magistri sui in vindictam reprehensionis non in unum seorsum intortæ, sed in communem discipulorum massam, & quidem tam leniter quam sonant hæc verba: *quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me:* quid oro mitius potuit dici à Domino? qui docebat discipulos veritatem & intentionem mulieris patefaciebat, pro ipsorum quiete: sed quid? Malitia hominis tanta est & superbia, vel livore semel concepto remittere nolit vindictam: sed malit petire, dummodo noceat.

**O** Deus, præsta mihi hanc gratiam ne unquam vi divitiarum, aut honorum aut dilitiarum aut livoris eo usque deducar, ut te, vel proximum meum offendere quo vis modo sive in omnibus bonis fortunæ, sive corporis mediter, sed è contra benefacere semper.

§. 17. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha. v. 17.

His ita se habentibus appropinquabat dies prima azymorum: boni ergo discipuli & solliciti de Paschate servando juxta morem Iudæorum & præceptum Dei in lege Moyfis servando, Magistrum interrogant, ubi vis paremus tibi comedere Pascha? quasi dicerent: Iudæi hoc festo imminente se præparant ad Pascha celebrandum. Nos Iudæi sumus, & mādato Dei obedientes, indica igitur nobis locum ubi vis paremus hospitium, in quo per festivos dies morari possis, & inibi manducare Pascha, multi enim hospites difficilia reddent diversoria: ecce stamus accincti, tu modo jube, & factum pura, vere boni discipuli & Dei amantes & præcepta ejus custodientes, non uti Iudas ille proditor Deo invidabant & servire detrectabant, sed Domino suo bene volunt & servire desiderant. Et ecce quam dispar exitus etiam & merces! hi modo gloriantur in Cælis apud Dominum suum & sanctos eius, ille damnatus cruciatur apud inferos cum diabolo & angelis eius.

D.



**D**omine, da gratiam ut lubenti tibi semper animo seruiam, ut hi Apostoli: sequar illos in bono, iudam detester in malo, ut sempiternum malum fugere, aeternum vero bonum tecum merear possidere.

§. 18. *At Iesus dixit: Ite in Civitatem ad quendam, & dicite ei Magister dicit. v. 18.*

Dicit ergo eis: ite in civitatem scilicet Ierusalem quæ convenire solebant Iudæi ad comedendum Pascha tanquam locum destinatum: ad quendam amicorum, cuius nomen edicere noluit, ut divinitatem suam, per providentiam insignem, quæ secreta est, discipulis manifestaret. Ab isto vero ad quem mittebantur discipuli Christus multum diligebatur, ideoque confidenter ad eum mittit, ut in domo eius sibi pararetur Pascha. Omnino sic Deus agit qui diligunt eum, ipsos visitat, cum illis manducat, & secretorum facit participes.

**O** Si ego quoque sic te amem mi Iesu, ut merear à te visitari, tecum Pascha comedere in domo cordis mei, & ibi audire arcana, ac monita quid me oporteat facere, ut tibi semper placeam.

§. 19. *Quia tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. v. 18.*

Causam quam edicant discipuli Domino domus, nempe *tempus meum prope est*. Erat id quasi symbolum, quo audito annueret Apostolis facilius, ut pararent Pascha in domo sua quæ dicitur *Ecce Paschale tempus adest, & ego agnus ille sum, qui immolari debet pro peccato mundi, hoc mysterium apud te inchoabo incruente, postea alij cruento modo, quod symbolum potuit Christus antea hospiti dedisse ut Passionis & mortis suæ telleram, vel tunc divinitus ei aperuisse.*

**Q**uam bonum esse amicum Dei, qui ubique & semper curam habet de suis ne decipiantur vel verbo vel facto; sed potius prævenit in sinceritate revelando arcana sua, ideoque me tibi ò Deus offero in discipulum & servum perpetuum.

§. 20. *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & paraverunt Pascha. v. 19.*

**E**cce obedientiam discipulorum erga Magistrum! quam prompti sunt ad mandatū etiam cæcum! ut illud exequantur, apparaverunt Pascha non per alio-